

822  
R

A 19) 0.  
APHORISMI PHILOLOGICI,  
DE  
GENIO  
**SERMONIS ORIGINALIS**  
**NOVI TESTAMENTI,**

32

Quos,  
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS.  
IN REGIA ACADEM. ABOËNSI,  
Sub MODERAMINE

*VIRI Maxime Reverendi atque Amplissimi,*  
**D. N. CAROLI ABRAH.**  
**CLEWBERG,**

L. L. O. O. & Græc. PROFESS. Reg. & Ord.  
& Facult. Phil. h. t. Decan. Max. Spect.

PRO  
LAUREA MAGISTERII  
PUBLICÆ BONORUM CENSURÆ SUBJICIT  
**MATTHIAS FORSINIUS,**

SATACUNDENSIS.  
IN AUDIT. SUPERIORI DIE XXIII. Dec. Anni MDCCLVI.  
Horis Ante Meridiem Solitis.

---

ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

VIRO

*Perquam Reverendo atque Eruditissimo*

D<sup>N</sup>. GEORGIO  
KUHLMAN,


Ecclesiæ, quæ Christo in Norrmark parœciæ Ulfshyensis colligitur, Comministro Meritissimo,

PARENTI LIBERALISSIMO,



**H**Asce levi penicillo elaboratas  
pagellas, ob plurima in se  
collata beneficia, dat, dicat, de-  
dicat,

*Filius obedientissimus*  
MATTHIAS FORSINIUS.



*APHOR. I.*

**I**N Divinis Litteris nihil temere aut cogitatum aut enunciatum invenitur, sed omnia, tam minima, quam maxima, sapientiæ Auctoris Cœlestis luculenta exhibent vestigia, dum ubique, cum maxima dictionis simplicitate, summa veritatis majestas adparet conjuncta.

*APHOR. II.*

**O**Racula Novi Fœderis quamvis universa litteris Græcis in Sacro Codice consignata deprehendantur, tantum tamen abest, ut ipsa dicitio atque locutio indolem antiqui Græcismi per omnia spiraret, ut potius ad genium Lingvæ Hebrææ quam sæpissime semet adcommodare conspiciatur.



*APHOR. III.*

**I**N locis bene multis adeo quidem pura fluit unda eloquentiæ Græcanicæ; ut vix ullus alius Græcorum Scriptorum reperiatur, qui leporem patrii sermonis aut vividius aut nitidius expresserit, sed in aliis iterum locis larga manu adpersi cernuntur Hebraismi.

*APHOR. IV.*

**H**orum etsi non paucos subinde fingi, dudum recte observarint eruditi: interim tamen veros, magno numero, dari, minime negandum, qui Textum Græcum, nostro quidem iudicio, haud aliter pingunt, ac stellæ cælum suis illustrant facibus. Tantum abest, ut eosdem in vitiis ponere audeamus!

*APHOR. V.*

**N**am sine dubio sanctæ fuerunt causæ, cur D. O. M. similem sermonis tenorem in utroque fœdere observari voluerit, quas tamen modeste rimari convenit, ne audacius philosophantes aliquid DEO temere adfingamus, quod ab Ipsius Sapientia abhorreat.

*APHOR. VI.*

**M**irari vero convenit, quid per quietem viderint lasciva quædam ingenia, quæ divinis litteris

N. T.

N. T. nescio quam barbariem ex hoc capite exprorare non verecundantur, ignorantes, longe satius esse, divini consilii sapientiam devoto agnoscere animo, quam infano fastu critico contemnere.

*APHOR. VII.*

**N**obis tam admiranda consonantia inter duo Testamenta ideo observata videtur, ut doctrina, quæ in Novo proponitur, eo facilius atque felicius infunderetur mentibus hominum, præsertim Judæorum, qui hoc modo impediabantur, ne aut novitatem, aut diversitatem ei objectare possent. Accedit, quod perspicuitas discendi facilitatem & conformitas credendi felicitatem insigniter promoveret.

*APHOR. VIII.*

**U**trum vero DEUS hoc ipso simul indigitare voluerit arcanum illud mysterium jungendi Judaismi cum gentilitate, per fidem in Mediatorem, res altioris est indaginis: hoc tamen dubio caret, sic factum, ut Evangelium Judæis atque paganis prædicandum, neutris peregrino, sed utrisque domestico sermonis caractere quodammodo videretur annunciari, quod haud parum ad fidei certitudinem contulit.

*APHOR. IX.*

**I**diotismi autem Hebraici Scripturam N. T. non  
 ):(  
 uno

uno modo pingunt colorantque, sed vel in distinctis adparent vocabulis, vel integras loquendi formulas adficiunt, modo singulares construendi rationes invehunt, modo figuras nonnullas pariunt, quas Grammatica Græca prorsus ignorat.

*APHOR. X.*

**N**omina pure Hebraica nunc Græcis duntaxat litteris descripta comparent, salva manente propria & terminatione & significatione; nunc omnibus in casibus Græcorum terminationem admittere jubentur, quemadmodum in nostra lingua haud exiguus numerus nominum Gallicorum nostris declinationibus se solent adcommo-  
101

*APHOR. XI.*

**I**nterdum nomina Græcanica novum plane usum habent, qui, repugnante licet consuetudine Græcæ lingvæ, originem debet Hebraismo, cujus nomina his parallela, præter communem significationem, etiam hanc admittere reperiuntur, quod ipsum nec insolens est in verbis & particulis.

*APHOR. XII.*

**H**aud raro nova occurrunt verba, originem trahentia ex certis vocibus Græcorum, quarum usûs vulgaris exprimit notiones, quæ respondent  
cer-



certis vocibus Hebræorum, ex quibus hi talia derivarunt verba, quod iis etiam accidere solet, qui scripta profana ex alia in aliam transferunt linguam, sibi que constitutum habent ubique verbum de verbo reddere, nec quidquam aut addere, aut demere volunt de textu Scriptoris, quem sibi vertendum sumferunt.

*APHOR. XIII.*

**S**criptores vero N. T. hac in re duces sequuntur fenes Alexandrinos, qui in vertendis Bibliis Hebraicis hoc artificio utentes, occurrentibus sibi difficultatibus, se feliciter expediverunt. Quoties enim hi in lingua Græca commodum desiderabant vocabulum, ad exhauriendam universam vim ac potestatem verbi alicujus Hebraici, quod interpretari debebant, toties ad analogiam Hebraicam novum fabricabant verbum Græcum, quod vim Hebraici jubebant habere.

*APHOR. XIV.*

**N**ec raro accidit, ut certi modi loquendi, quos optimi scriptores profani agnoscunt, in Codice Græco N. T. alium plane sensum accipiant, quam qui obvius esse solet in Græcorum scriptis, idque ex usu Hebræorum, qui locutionibus his respondentibus istum sensum tribuerunt; vel saltem ad consuetudinem Hebræorum usitatas Græcorum

formulas prorsus pleonastice observamus adjectas aliis verbis, quæ per se planum & plenum fundunt sensum.

*APHOR. XV.*

**P**Lurimas quoque formulas habet Græcismus Biblicus, quas ignorant cæteri auctores Græci, Linguæ vero Hebraicæ maxime sunt familiares, quorsum spectant varii generis circumlocutiones, utpote cum nomina, verba & adverbia Græcanica pluribus ambiuntur vocibus, cum enunciationes universales adfirmantes formantur vel repetitione seu geminatione unius ejusdemque vocabuli, vel adjectione aliorum quorundam &c.

*APHOR. XVI.*

**G**enuinum quoque Hebraismum redolent illæ formæ loquendi, quæ priorem sui partem habent vocem *υἱός* vel *τέκνον*, quæ varietate nominum, quibus adjicitur, varium parit sensum, ita ut nunc commode exponi possit, per adjectiva, præditus, dignus, obnoxius, destinatus, nunc per substantiva, civis, incola, alumnus, cum nimirum præponitur nominibus locorum, urbium & populorum; nunc denique voci *άνθρώπις* sociata nullo alio nomine explicari velit, sed plane *παρελκόντως* posita videatur.

*APHOR. XVII.*

**N**Ec prætereundæ hic sunt formulæ, quæ senten-



tentias pariunt contrarias iis, quas voculae ita positae ex indole Graecae linguae formarent, quorsum referri debent modi formandi enunciationes universaliter negantes, ope particulae negativae *ὄ* vel *ὄκ*, adjectivae nominibus *ἴς*, *πᾶς*, vel aliis: quae quidem locutiones Hebraismum *ὁμολογούμενος* in recessu habent

APHOR. XVIIII.

Constructiones Hebraismum redolentes tanta copia occurrunt, ut eorum vel numerum pagellarum angustia capere nequeat. Ut paucis rem expediam, huc pertinent sequentes construendi rationes: 1:o quando pro neutro ponitur adjectivum femininum. 2:o quando idem nomen geminatur ad indicandum vel distributionem vel universalitatem. 3:o quando duorum substantivorum, in statu regiminis positorum, alterum est loco adjectivi. 4:o quando nomen divinum, in casu dandi adjectivo, vel in casu gignendi, substantivo junctum, gradui superlativo significando inservit. 5:o quando nomina vel participia suis addita verbis, majorem rei certitudinem expriment & evidentiam, vel vehementiorem actionis intentionem.

APHOR. XIX.

IN censum hic etiam veniunt figurae Grammaticae Hebraicae, utpote 1:o Enallage abstracti pro concreto & contra, nec non casus pro casu, nu-

numeri pro numero, generis pro genere, personæ pro persona, vocis pro voce, modi pro modo &c. 2:0 Pleonasmus nominum aliis additorum nominibus in statu regiminis, nominum præpositionibus subjectorum, pronominum demonstrativorum post relativa &c. 3:0 Ellipsis omnium fere partium orationis, quarum rationes singulares longum foret exponere.

APHOR. XX.

**A**Tque hæc, pro ratione instituti, de stilo N. T. dixisse sufficiat. Jam loco colophonis characterem ipsius rudi penicillo adumbrare placet. Est igitur stilus Græcus, sed liquore aliorum idiomatum jucunde irrigatus. Est humilis, non vilis, mediocris non tenuis, sublimis, non subtilis, ubique gravis non gracilis, non obscuritate infamis, sed perspicuitate illustris, non humano superbiens acumine, sed divino triumphans lumine, non nimix sublimitatis ostentator, sed nativæ simplicitatis æstimator. Non est ineptus, rusticus, barbarus, sed aptus, natus. Verbo: divinus est, non humanus, nullis fœdatus vitiis, omnibus ornatus virtutibus.

